



**R. P. Thomæ Comptoni Carleton, Cantabrigiensis,
Societatis Jesu, In Collegio Anglicano Leodiensi Sacrae
Theologiae Professoris, Cursus Philosophicus Universus**

Carleton, Thomas Compton

Antverpiæ, M.DC.XCVII.

Disputat. III. De primo Principio nempe Materia primâ secundum se.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95656](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95656)

hæc tria, ut enim est ab agente formaliter, non est mutatio intrinseca, ut sic enim formaliter nihil mutat, sed ut recipitur in subiecto, & illud vel per se, vel terminum à se productum immutat.

XV. Obijes octavo; ad productionem novæ formæ, ignis v.g. in materia ligni, requiri privationem formæ ligni, cum enim materia non sit capax duarum simul formarum, nova induci forma nequit, nisi expulsa vetere, ergo necessario requiritur illius privatio, ergo privatio illa erit principium actionis inducentis novam formam, sicque erunt quatuor principia. Resp. quidquid sit, utrum privatio formæ præcedentis sit dispositio necne ad formam sequentem introducendam, de quo alibi. Resp. inquam, privationem hanc ad conceptum essentiali mutationis non requiri, cum licet Deus conservaret formam priorem in materia, adhuc esset mutatio, cum subiectum aliter se haberet quam antea. Unde principia essentialia mutationis, quæ mutatio est, non sunt nisi tria hæc, materia, forma, & privatio formæ inducendæ, utpote quæ sola, & semper ad conceptum mutationis per se requiruntur. Privatio autem formæ præexistentis est potius de conceptu conversionis, quam mutationis.

Privatio formæ præcedentis non est de conceptu essentiali mutationis.

XVI. Obijes nono; Privatio est carentia formæ in subiecto apto, ergo nunquam datur privatio, cum enim subiectum semper habeat aliquam formam, & dum illam habet, non possit suscipere aliam, nunquam est subiectum aptum. Distinguo hoc ultimum, non est subiectum aptum in sensu composito, quod habeat aliam formam, concedo; in sensu diviso, seu secundum se, nego. Quod de calore, & frigore in gradibus intensis, & sexcentis huiusmodi dici ab omnibus debet.

Subiectum est aptum ad novam formam in sensu diviso, non in composito præcedentis.

SECTIO V.

Reliqua circa Principia corporis naturalis.

I. Primum est, Principia esse contraria, seu sibi opposita: quod de formâ & privatione est clarum, cum opponantur contradictoriè. Materia & forma in rigore contraria esse non possunt, contraria enim sunt quæ maxime distant, & ab eodem se subiecto expellunt; materia autem subiectum habere non potest. Deinde est subiectum formæ, & cum eâ ad con-

Quomodo Principia sint contraria.

stitutionem corporis naturalis conjungitur, ergo non repugnat esse cum formâ. Tandem juxta Aristotelem c. de substantia, *Substantia nihil est propriè contrarium*. Solum ergo dici possunt materia & forma contraria, vel quia opponuntur relativè, cum mutua relatione transcendentali se invicem respiciant, vel quia valde diversum & quasi contrarium habent modum principiandi, & constituendi corpus seu compositum naturale, materia sustentando, forma informando.

Secundum est, utrum materia, forma & privatio univoca sint an analoga? Dico, ad minimum esse analoga, non in ratione entis tantum, sed etiam in ratione Principij, cum Privatio in ratione principij modum essentialiter diversum habeat à materiâ & formâ. Existimo tamen probabile privationem convenire univocè in ratione Principij cum termino à quo positivo, cum formâ ligni e.g. dum inducitur forma ignis, & cum frigore, dum inducitur calor, quia scilicet ratione & modo principiandi conveniunt, nempe desinendo, & tanquam id à quo in mutatione & conversione receditur.

Materia, Forma, & Privatio sunt analogæ, non solum in ratione entis, sed in Principij.

Tertium est, quæ de generatione substantiali dicta sunt, omnia ferè convenire etiam accidentali, cum in hoc ferè solum differant, quod illa terminum habeat substantialem, hæc accidentalem. Notandum tamen, non omnem generationem, accidentalem esse mutationem, nec formam accidentalem procedere semper à privatione sui: si enim potentia animæ, intellectus & voluntas distinguantur realiter ab animâ, & in ipsâ subiectentur, dimanentque ab eâ tanquam passionibus ejus & proprietatibus primo instante quo creatur, nunquam propriè fuerunt in animâ illarum privationes. Idem est de alijs proprietatibus & passionibus, si quæ sint quæ dimanant & subiectentur in formis, ut de ubicatione, duratione, & alijs modis, vel etiam in rebus simplicibus, ut sunt species Angelicæ. Cum autem materia à primâ rerum creatione semper eadem permanferit, omnis generatio substantialis est mutatio, & sit ex privatione formæ inductæ, exceptâ omnium primâ, quam nec cognovit, nec de eâ locutus est Aristoteles, qui cælos & prima corpora posuit æterna. Eæ etiam generationes & productiones formarum excipi debent quæ miraculosè fiunt corruptis speciebus Sacramentalibus, ubi simul cum materiâ comproducitur etiam forma substantialis.

Quæ de generatione substantiali dicta sunt, omnia ferè conveniunt etiam accidentali.

Omnis Generatio substantialis est mutatio, non omnis accidentalis.

DISPUTATIO III.

De primo Principio, nempe Materiâ primâ secundum se.

DE tribus corporis naturalis Principijs generatim diximus; nunc uniuscujusque sigillatim naturam disquiremus. Primò itaque agemus de materiâ, quæ sicut generationis & mutationis rerum, ita & nostræ erit disputationis fundamentum.

SECTIO I.

An detur Materia prima: Vbi, an elementa sint formaliter in mixto.

Conclusio: datur in rebus materia prima, quæ sit subiectum mutationis substantialis, estque

substantiale subiectum, ex quo omnia corpora materialia, seu composita physica constituuntur. Ita rebus materialibus communis Philosophorum propè omnium cum Aristotele sententia, Secunda conclusionis pars, quod scilicet materia sit subiectum substantiale, constat, quia est subiectum mutationis substantialis, accedens autem subiectum substantiæ esse nequit. Deinde, constituit compositum substantiale, quod accidenti non convenit, quippe quod constituere solum potest compositum accidentale, nec facit unum per se cum substantiâ, sed unum tantum per accedens. Ratio autem à priori est, quia in compositis naturalibus dari debet primum aliquod subiectum, sed hoc non potest esse accedens, ergo, Major est ceteris aliis qui

Datur in rebus materialibus materia prima.

Ratio à priori est, quia debet dari primum aliquod subiectum substantiale.

qui procederet in infinitum. Minor probatur, accidens ex naturâ suâ & conceptu essentiali, est quod accidit alteri, unde ut dici solet, *accidentis esse est inesse*, ergo supponit aliud prius se, cui accidat, & insit, ergo supponit ante se aliquod subiectum, ergo non potest accidens esse primum subiectum. Primum itaque subiectum esse necessario debet substantiale, & quod alteri non insit.

II.
Mutatio-
nes & alte-
rationes
continua
inducant
dari mate-
riam.

Prima verò conclusionis pars, nempe quod detur huiusmodi primum subiectum, probatur ex mutationibus & alterationibus, quas in dies certimus, in quibus necessarium est ut maneat commune aliquod subiectum quod mutetur, & transeat de non esse tali ad esse tale. Conf. si ignis v. g. non eget materiâ ut operetur, cur non semper operatur etiam nullâ appositâ materiâ? cur enim igni apponitur lignum tanquam pabulum, si nihil ligni maneat sub formâ ignis, in quod ignis inducat suam formam? Conf. secundò, cur necessario ad productionem ignis requiritur destructio formæ stuppæ vel ligni, nisi ut in ejus subiectum inducatur forma ignis?

Nihil in-
tendens ad
corruptio-
nem non intendit
per se, cum nihil,
& consequenter
nec natura ad malum
intendens operetur.

Conf. tertio, cur vivens eget alimento quo nutriatur, & sustentetur, nisi ut in materiam alimenti inducat formam aliti?

III.
Dici ne-
quit sub-
stantiam
totâ perire,
& aliam
totam e-
mergere.

Dices, quidni accidentia recipiantur in totâ substantiâ, eaque tota pereat, & nova substantia illius loco emergat? Contrâ primò, hoc saltem de homine dici nequit, nec enim ex solâ animâ rationali constat & accidentibus. Concilium enim Lateranense sub Innocentio III. ait, hominem constitutum esse ex spiritu & corpore. Et in symbolo Athanasij dicitur *Christus perfectus homo, ex animâ rationali & humanâ carne subsistens*. Contrâ secundò, sic enim accidentia disponent ad destructionem sui, nam pereunte subiecto, pereant & accidentia necesse est.

IV.
Nisi detur
primum sub-
iectum sub-
stantiale,
agentia
naturalia
crearent.
Probatur
ex reliquijs
manere
post mortem
materiam.

Secundò probatur conclusio, agentia enim omnia naturalia quotiescunque agunt, crearent. Patet, nam non educerent terminum ex potentia subiecti, ergo crearent: hoc autem est contra communem Philosophorum sententiam, dicentium, *ex nihilo nihil fieri*. Conf. Ecclesia venerationem & cultum præbet Sanctorum reliquijs, ergo aliquid manet in ijs quod in Sanctis esset dum viverent, ratione cuius cultus ille & veneratio exhibetur, sed anima illis non manet, nam dudum in cælum abiit, ergo manet corpus, & substantialis quædam materia sub formâ cadaveris animæ succedente.

V.
Dices ad
eulâ illâ
sufficere
accidentia.

Dices primò, ad illum reliquiarum cultum sufficere si maneant accidentia, ut in transubstantiatione panis & vini contingit in corpus Christi, ubi nihil substantiæ panis remanet, sed sola accidentia: quidni ergo idem dici poterit in præsentî?

VI.
Contra:
pereunte
substantiâ:
pereunt et-
iam acci-
dentia.

Contrâ, si tota substantia pereat, perire etiam necessario naturaliter debent accidentia: cum ergo in transmutationibus quotidianis nihil contingat supernaturale, si pereat subiectum, manere nequeunt accidentia. In sacrosanctâ verò Eucharistiâ per miraculum manent accidentia seu species, cum spectato naturæ ordine, perire unâ cum pane & vinò debuissent.

VII.
Nō possunt
elementa
esse forma-
liter in
mixto.

Dices secundò cum quibusdam medicis, manere quidem aliquid, sed illud non esse materiam primam qualem nos ponimus, sed quatuor elementa inter se permixta & unita, quæ rationem subiecti subeunt. Contrâ primò, si statuatur elementa hoc modo manere sub omnibus rebus, vel debent inter se penetrari, quod repugnat naturaliter, cum duo corpora simul in eodem loco esse non possint; vel manere debent dispersa secundum diversas partes compositi: sed neutrum dici potest, nam præter ra-

tionem datam, non potest ignis & aqua hoc vel priori modo manere, quin in se invicem agant; vel si manere possint sine mutuâ huiusmodi actione, quidni & mixta eodem modo manebunt, vel inter se, vel cum elementis, ignis v. g. & lignum, quin in se invicem agant? Confir. quis dicit in marmore summâ hyeme reddito frigidissimo contineri ubique ignem, & calorem ut octo, per omnes illius partes, ac venas dispersum?

Contrâ secundò, nam saltem cum unum elementum convertitur immediatè in aliud, dici nequit manere aliquod elementum tanquam subiectum commune, ergo cum tunc necessario manere debeat aliquod subiectum commune, aliquid assignari aliud debet, præter elementa: illud ergo est quod vocamus materiam primam. Primum verò antecedens probatur, nam cum ignis aërem convertit in ignem, id quod manet, non est aër, nam aër qui convertitur perit, ergo cum manere aliquid debeat tanquam commune subiectum, ne ignis tunc creet, illud erit materia prima, cum nihil excogitari aliud possit.

VIII.
Dum unū
elementum
transit in
aliud, non
potest prius
manere.

Contrâ tertio, dum comburitur lignum v. g. vel manent omnia elementa, vel aliquod unum tantum: si omnia, ergo manent ut sint loco materiæ, & consequenter forma ignis inducenda informabit omnia quatuor elementa; quod idem est de animâ rationali, & quavis aliâ formâ: Si verò dicatur solum manere unum aliquod elementum; primò, non apparet cur magis unum maneat quam aliud; deinde quodcumque manet, vel est quid simplex & completum, & tunc nec formam recipere, nec per eam compleri potest; vel est quid incompletum, tunc verò erit materia prima, nam habet illius essentiam, nempe esse quid incompletum, primò susceptivum formarum substantialium.

IX.
Dum com-
buritur
lignum,
non possunt
ibi manere
elementa.

SECTIO II

Quid sit materia prima, & an sit incorruptibilis.

Deus ob perfectionem duobus modis cognoscitur, scilicet remotione, & appositione; primò tunc contingit dum eum cognoscimus omnem ab eo imperfectionem removendo, ut cum dicimus, *Deus est infinitus, incorporeus, & similia*: secundum accidit dum illum representamus, omnem ei perfectionem apponendo, ut *Deus est summè bonus, summè potens, summè felix, & huiusmodi*. Materia ob imperfectionem remotione similiter cognoscitur, & appositione; remotione scilicet omnium quæ arguunt perfectionem, & quidquid fermè in rebus imperfectionem sonat, eidem apponendo, ut ex ejusdem definitionibus constabit.

Varijs itaque modis materiam definit Aristoteles: nam 7. Met. tex. 8. ait, *Materia est quæ per se ipsam neque est quid, neque quantum, neque quidpiam eorum quibus ens determinatur, & addit, neque est eorum neque gationes*. Per quæ verba significat non esse eam substantiam completam, & ex se determinatam ad finem, unam aliquam speciem, sed esse indifferentem, nec esse quantitatem, aut formam ullam substantialem, vel accidentalem, per quam scilicet determinetur materia ad hanc vel illam speciem, aut compositum substantiale, aut accidentale; neque tamen esse negationem, aut non ens, sed verè & propriè aliquid positivum.

II.
Materiam
variè defi-
nit Aristote-
les.
prima de
finitio.

Secundò, tex. 69. eam definit Aristoteles, vel describit potiùs hoc modo: *Materia est quædam substantia, quæ ita se habet ad formas naturales, sicut æs, aut lignum ad formas artificiales*. Convenit ergo materia

III.
Secundâ
definitio
Materiæ
describitur
cum ære.

are & ligno, ac rebus alijs materialibus in hoc, quod sicut hæc indifferentia sunt ad varias formas artificiatas, sic materia ad varias naturales. In hoc tamen differt, quod æs, lignum, & alia hujusmodi sunt quid completum substantialiter, materia autem essentialiter est incompleta, ut pote ex naturâ suâ & essentiâ ordinata simul cum alterâ comparte ad constituendum unum compositum per se, & substantiale: ex duobus autem entibus completis, sub eâ ratione quâ sunt completa, vel ex uno etiam completo & altero incompleto, non fit unum per se. Deinde si materia esset quid completum, non posset esse pars, in eo saltem genere in quo est completa.

IV.
Tertia, & maximè recepta
Materia
Definitio.

Tertia Definitio quam tradit Aristoteles materia, & maximè recepta, est c. 9. tex. 82. *Materia prima*, inquit, *est primum subiectum cuiusque rei ex quo fit aliquid cum insit, non secundum accidens, & si corrumpitur, in hoc abibit ultimum.* Quæ postrema verba non sunt intelligenda quod nulla maneat accidentia, quæ prius erant in materiâ, cum corrumpitur aliquid compositum, ut postea suo loco videbimus, sed loquitur de ultimo substantiali, & vult nihil substantiale manere prioris compositi, præter materiam primâ. Dicitur ergo materia primum subiectum, per quod differt à formâ, quæ licet sit subiectum suarum proprietatum non tamen est primum subiectum, cum materiâ insit tanquam subiecto saltem informationis, per hanc tamen rationem *primi subiecti* convenit cum Angelis, qui sunt prima subiecta suarum passionum, actuum, & cæterorum accidentium. Per ultimas particulas *ex quo fit aliquid cum insit non secundum accidens*, differt materia & ab Angelis, & omni alio subiecto, cum ex nullo præter materiâ fiat compositum per se, sed solum per accidens.

V.
Materia
prima est
naturaliter
incorruptibilis.

Hoc commune subiectum quod asserimus, est naturaliter incorruptibile. Probatur ratione sæpius insinuatâ, quia in omni mutatione substantiali est aliquid quod semper manet, & sub diversis & oppositis terminis seu formis substantialibus mutatur, ergo hoc destrui nunquam debet, sed manere successivè sub formis inter se repugnantibus. Conf. hoc namque insinuare videtur lucta illa inter dispositiones prævias ad formas substantiales, quæ viam quasi parant ad suam formam inducendam in subiectum, & illud prius informant, ut ad substantialis formæ inductionem disponant. Hinc igitur provenit affidua illa inter primas qualitates circa subiectum pugna.

VI.
Non potest
Angelus
ita dividere
materiam
ut destruat.

Obijcies primò; dividi eousque ab Angelo potest materia, destructis unionibus ejus continuativis, ut persistere in rerum naturâ non possit, nec enim in minima tantum naturalia, sed in partes etiam minimas naturalibus minores partiri eam Angelus potest, quod si contingat, materia destruetur, ergo non est incorruptibilis. Resp. in rebus inanimatis homogeneis non dari minima hujusmodi naturalia: Quod si dicitur, Angelus ultra minima illa materiam dividere non potest.

VII.
Posset nihilominus
destrui à
Deo.

Obijcies secundò; saltem Deus potest eam ultra minima illa dividere, ergo in eo casu destrueretur, sicque esset corruptibilis. Resp. si dentur ejusmodi minima, transeat in eo casu destructum iri partes illas minores minimis, non enim nego quin à Deo miraculosè destrui possit materia. Sicut nonnulli peritiam eam ajunt, si Deus, Præter rerum ordinem, omnem ab eâ substantialem formam amoveret. Tunc verò non corrumpere, sed annihilaretur.

VIII.
Dices hinc
quod materiam
non
annihilant.

Dices; ponamur dari à parte rei hujusmodi partem minimam, si Deus lineam quæ illam inter duas medietates interfecit, destrueret, cum hæc linea non creetur, sed ex partibus illis educatur, (agentia enim

naturalia duas partes aquæ, aut cetera unire inter se continuativè possunt, quæ tamen non possunt creari) si ad destructionem hujus lineæ pars illa minima destruat, dicitur propriè corrumpi, sicut hominem dum moritur non annihilatur, sed propriè corrumpitur, quia unio inter animam ejus & corpus non annihilatur, sed corrumpitur.

Hic aliud esse nequit nisi questio de modo loquendi, de re enim constat, nempe unionem destrui per suspensionem actionis educativæ, partes per suspensionem actionis creativæ, unde illa propriè corrumpitur, hæc annihilantur. Ratione verò unionis corruptæ totum illud, seu pars illa minima reduplicativè, seu in ratione totius dici potest propriè corrumpi, non tamen specificativè, nisi solum inadæquatè, nempe quoad unionem.

Obijcies tertio; si materia sit incorruptibilis, compositum denominabit incorruptibile, quod tamen falsum est, ut constat. Contra, ergo anima rationalis hominem denominabit incorruptibilem. Resp. itaque negando antecedens, bonum enim ex integrâ causâ, malum ex quolibet defectu, unde ut aliquid sit incorruptibile, nihil in se continere debet corruptibile. Sicut ut carena aliqua sit fortis, nõ sufficit quod aliquot annulos habeat fortes, sed nullum in se continere debet, qui fortis non sit.

Eodem modo ad questionem illam respondetur utrum materia sit ingenerabilis, cum enim sit primum subiectum, simpliciter est ingenerabilis, aliud enim subiectum prius dari nequit ex cujus potentia educatur: In ratione tamen totius, seu reduplicativè, dici potest generari, quando scilicet agens aliquod naturale duas partes aquæ, aut alterius liquoris continuativè connectit: specificativè tamen nunquam totum adæquatè generatur, cum partes semper creentur. Quod fateri omnes debent in productione hominis.

Materia latè sumptâ dividitur in materiâ *transientem* & *permanentem*. *Transiens* est, ex qua pereunte fit aliquid, ut ignis ex ligno, ex pane & vino Corpus & Sanguis Christi. *Permanens* est, ex qua tanquam materia aliquid conficitur, ut verba ex syllabis, gladius ex ferro, mensa ex ligno vel marmore. Materia autem de qua hic loquimur dividitur in primam & secundam. Prima est ipsa entitas materiæ secundum se sumptæ, seu pro aliquo priore concepta antequam vel formam ullam habeat, vel dispositiones ad formam, & dicitur materia remota. Materia secunda seu proxima est eadem materia prima prout jam accidentia habet & dispositiones, quibus proximè redditur apta, ac determinatur ad hanc vel illam formam substantialem recipiendam.

Hic solum restat ut aliquid de nominibus attexam, quibus materia ab auctoribus appellari solet. Vocatur ergo subinde *chaos* & *tenebra*, quod nunquam cernatur nec appareat: aliquando *umbra* & *nihil* quod scilicet tam tenuis sit entitatis, ut cum non entibus potius quam entibus affinitatem habere videatur: nonnunquam *luna*, ob formarum quas per intervalla mutat varietatem, quodque alienâ quasi luce ac fulgore splendeat: nunc *sylva*, nunc *mater*, & *natura*. *Quisquæ nutritur*, quod res scilicet prope omnes ex se gignat, suo arbitrio ac procreet: nunc è contrâ *Noverca* vocatur adultera tratu novæ & *venesica*, quod quas in se recipit formas, atque ad tempus fovet, repente fraudulentè quasi enecet, ac interimat. Sic suo quisque arbitratu novum ei nomē appingit. Plato inter alia quæ ipsi tribuit nomina, Plato eam *Divinitatis* vocat *dissimilitudinem*, quod à Deo ente omnium perfectissimo, ens omnium prope imperfectissimū longissime distet. Quæ etiam de causa eam appellavit *non ens*. Tandem eam nuncupat *magnam* & *parvam*; *magnam*, quod omnia in se recipere & quasi

IX.
Resp. unionem destrui
nem corrumpendâ,
partes annihilandas.

X.
Licet materia sit incorruptibilis, non tamen denominatur compositum incorruptibile.

XI.
Materia etiam est ingenerabilis.

XII.
Materia transiens, & permanens.

XIII.
Materia etiam dividitur in primam, & secundam.

XIV.
Materia varia non minima.

XV.
Quisquæ nutritur, suo arbitrio ac procreet.

XVI.
Plato eam Divinitatis vocat dissimilitudinem.

Item mag-
num &
parvum.

si completi possit; parvum, quod Iro pauperior, ex se nihil habeat, omnemque quem habet ornatum aliunde emendicet, quæ proinde si in sua specie &

formâ cerni posset, non minorem moveret risum; quàm olim cornicula furtivis nudata coloribus.

DISPUTATIO IV.

In quo consistat notio subjecti.

SECTIO PRIMA.

Refelluntur quadam hac de re sententia.

I.
Ratio sub-
jecti non
consistit in
sustentatione, seu
influxu
materiali.

Rationem subjecti quidam in sustentatione collocant, seu quod influat in aliud, & illud causet materialiter; rationem verò formæ contrario in eo sitam esse volunt, quod in subjectum non influat. Sed contrâ, materia est subjectum respectu animæ rationalis, quæ verè informat materiam, hæc tamen in eam non influit, anima enim rationalis creatur, non generatur, ergo recipere seu esse subjectum generatim loquendo non est causare aliud materialiter, seu in illud influere, aut sustentare. Præterea Angelus e. g. vel ignis productus, est aliquo modo subjectum respectu creationis & generationis, & generatim effectus omnis est aliquo modo subjectum respectu suæ productionis, & tamen effectus nunquam influit in actionem per quam producitur, ergo.

II.
Volunt alij
rationem
subjecti
consistere in
indifferentia ad
constituendum
diversum
compositum

Secundò, volunt alij rationem subjecti in quadam indifferentia consistere ad constitutionem diversis compositi, quæ indifferentia tollitur per formam; ut materia ex se indifferens est ad hoc vel illud compositum constituendum, per formam autem equi determinatur ad constituendum equum, per formam leonis ad leonem, per formam hominis ad hominem, & sic de reliquis. Idem est, inquit, in compositis accidentalibus, paries enim ex se indifferens est ad compositum albi, nigri, aut alterius cujuscvis coloris, per formas verò accidentales ad hoc vel illud compositum in particulari determinatur.

III.
Contrâ: A-
nima ra-
tionalis est
indifferens
ad varia
composita.

Impugnatur primò, est enim probabilis sententia materiam celi susceptivam tantum esse formæ celi, & tamen verè illa est materia, hæc forma, ergo ratio subjecti universim non consistit in hac indifferentia. Secundò, anima rationalis indifferens est ad varias materias, nec enim magis ex se petit anima Petri esse in materiâ in qua est, quàm in materiâ quæ est sub formâ equi, vel arboris, ergo non consistit essentia materiæ, seu subjecti in indifferentia ad varia composita constituenda, cum hæc indifferentia conveniat etiam formæ.

IV.
Non est ei-
iam, cur
dari ne-
queat for-
ma indiffe-
rens ad ma-
terias spe-
cie distin-
ctas.

Dices non convenire formæ ut sit indifferens ad materias specie distinctas. Contrâ primò, ergo saltem non consistit essentia materiæ in quacunque indifferentia, sed in indifferentia ad diversas formas specie. Contrâ secundò, non apparet cur non possit dari forma, quæ respiciat duas vel plures materias specie distinctas, & ipsas possit informare, & cum ijs constituere compositum, nulla, inquam, hujus assignari potest implicatio, nisi petatur principium, & dicatur, illam non fore formâ quia est indifferens ad diversas specie materias, hoc autem est in questione.

V.

Tertio impugnatur hic modus explicandi ratio-

nem subjecti, & ostendo formas aliquas de facto esse indifferentes ad diversa specie subjecta. Et ut omit- tam de luce receptâ in cælo, sole, lunâ, stellis, aëre, vitro, aquâ, &c. quia dicunt recipi solum in eorum materiâ, quam eandem specie esse asserunt in omnibus, gratia est indifferens, ut sit in animâ rationali, vel Angelo, & in hoc Angelo, vel illò, cum tamen multi, imò omnes Angeli qui de facto sunt, differant specie, juxta communem Theologorum sententiam, ergo gratia quæ est forma, habet indifferentiam ad hoc vel illud subjectum specie distinctum.

Dices, esse quidem gratiam indifferentem ut sit in subjectis specie distinctis, sicque convincit argumentum posse dari formam indifferentem quoad esse respectu diversorum subjectorum, gratia tamen ijs omnibus eandem tribuit denominationem, nam omnes tam homines quàm Angelos denominat gratia, sicut licet sit indifferens in essendo, est tamen determinata in denominando. Contrâ primò, ratio cur ipsi dicunt materiam non esse formam, nec denominare, est, quia est indifferens ad constituenda varia composita, ergo si concedant formam esse similiter indifferentem ad constituenda varia composita, dicere necessario debent eam non esse formam, sed materiam, cum hæc secundum ipsos sit essentia materiæ. Contrâ secundò, forma indifferens est ad varia subjecta specie distincta in essendo, ergo & in informando, cum esse formæ sit informare, ergo forma in propriissimâ ratione formæ est illimitata & indifferens, ergo perfectissima indifferentia convenit formæ.

Quartò impugnatur hæc sententia, & ostenditur formas posse ex naturâ suâ non solum informare diversa subjecta, sed etiam dare diversas denominationes, nam gratia habet ualis homines non subsistentes substantiâ increata denominat filios adoptivos, Christo autem non dat hanc denominationem, quia per sanctitatem increatam est Filius Dei naturalis, ergo forma aliqua est ex naturâ suâ indifferens non ad diversa solum specie subjecta, sed etiam ad diversas specie denominationes, sicque non in essendo tantum, sed etiam in denominando.

Quintò, idem ostenditur in formis merè naturalibus, species visibiles emissæ ab objecto recipiuntur in aëre, & oculo, oculo verò dant denominationem visivi, aëri hanc non dant, sed meram denominationem informati speciebus visibilibus. Item actio educitiva, etiam juxta adversarios, est in passo ut in subjecto inhaesionis, & in termino ut in subjecto affectionis, passo autem dat denominationem patientis, termino verò non denominationem patientis, sed producti. Unio dat materiæ denominationem subjectantis, non formæ, formæ denominationem informantis, non materiæ, ergo aliqua formæ sunt illimitatæ non solum in essendo, respectu diversorum specie subjectorum, sed etiam in denominando, cum & influit diversis subjectis, & diversam ijs denominationem tribuant.

Dices